



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis XXXI. Ad Julii Quæsitum primum. Argumentum. Indagatur, quomodo in Eucharistia accidentia remaneant sine subjecto? Adducuntur rationes Theologicæ, & datur similitudo fulminis destruentis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

Ecclesiasticorum videntur excipiendi. *Unum est eorum, qui nullum beneficium habent, & nulli Ecclesiæ sunt addicti; hi enim non censentur obligati ad hoc præceptum; sed ad illud de communicando, vel celebrando in Paschate juxta cap. Omnis Utriusque Sexus. de Penit. & Remiss. in 6. quod ex D. Bonavent. in 4. dist. 12. art. 2. qu. 2. tenet Diana part. 2. tr. 14. resol. 19. Collocata in Coordinato tom. 2. tract. 1. res. 58. Alterum est illorum Sacerdotum, qui die prædicta Cœnæ Domini privatam Missam celebrant in aliquo Oratorio, vel Capella juxta locorum, & Ecclesiasticarum consuetudinem; quam licitam esse ait Emin. Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 20. n. 14. cum Suarezio disp. 80. sect. 2. & aliis relatis per Dianam part. 11. tract. 5. resol. 32. sedente in Coordinato tom. 2. tr. 1. resol. 73.*

DECISIONIS XXXI.

Ad Julii Quæsitum primum,

ARGUMENTUM.

Indagatur, quomodo in EUCHARISTIA accidentia remaneant sine subjecto? Adducuntur rationes Theologicæ; & datur similitudo Fulminis destruentis gladium; remanente intacta vagina; evacuantis vinum, intacto subsistente dolio; & absorbentis substantiam ovi, sine offensione putaminis. Additur exemplum recti Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Vallicella de Urbe, suspensi in aëre tempore Sancti Philippi Neri.

SUMMARIUM.

- 1 Accidentia in Eucharistia alia sunt sensibilia in se, alia in effectibus.
- 2 Accidentia in Eucharistia sunt sine subjecto substantiali miraculose, & n. 3.
- 3 Accidentia neque aeri, neque Corpori, aut Sanguini Christi inexistunt in Eucharistia.
- 4 Accidentia an in Eucharistia habeant subjectum accidentale?
- 5 Accidentia in Eucharistia sustentantur a quantitate.
- 6 Quantitatis accidens stat in Eucharistia sine aliquo subjecto. Et quomodo.
- 7 Fulminis exempla pro demonstranda existentia accidentium in Eucharistia sine subjecto.
- 8 Fulmen destruit vinum, & non dolium. Nummos, non autem sacculum. Gladium, & non vaginam. Ovum absque putamine.
- 9 Miraculum trabis in aëre stantis in Ecclesia S. Mariæ Vallicella tempore S. Philippi Neri.

QUÆSITUM PRIMUM.

Quomodo in Eucharistia remaneant accidentia sine subjecto.

Dixere: Primum, accidentia panis, & vini alia esse sensibilia in se, ut sunt quantitas, figura, color, sapor, odor. Alia vero esse sensibilia tantum in suis effectibus, ut virtus calefaciendi, & inebriandi, nam constat experientia, Dist. Clericali Tom. 1. Lib. 11.

solas species Sacramentales inebriare posse, si in magna quantitate bibantur, ut notat Mastrius in 4. Sent. disp. 3. num. 360. *Secundo*: Prædicta omnia accidentia post consecrationem remanere sine subjecto substantiali, quia nihil substantiæ panis, & vini remanet, cui possint inhaerere, cum tota panis, & vini substantia sit transubstantiata in Carnem, & Sanguinem Christi; cap. firmiter. De Summ. Trinit. & fid. Cathol. Concil. Constant. sess. 8. ubi damnat hæresim Wiclefi dicentis, *Accidentia panis non manere sine subjecto in Eucharistia Sacramento*. Item Concil. Florentin. & Concil. Trid. sess. 13. de Sacrosancto Euchar. Sacram. c. 4. & can. 2. Corpori autem Christi, aut ejus Sanguini præfata accidentia non inexistunt, ut fides docet, alioquin Corpus Christi esset album, rotundum, liquidum, fixile, atque adeo passibile. Neque etiam inexistunt aeri; ergo stant miraculose sine subjecto substantiali, ut docent omnes Theologi. S. Thom. 3. part. quæst. 77. art. 1. Scotus in 4. dist. 12. quæst. 1. & 2. Eminent. Cardin. de Lauræa De Eucharist. disp. 23. art. 1. & Gonet. tom. 5. de Euchar. disp. 6. art. 1. Tertio, cumque omnes Catholici concorditer id sentiant, non ita conveniunt de subjecto accidentali; An scilicet ipsum excludatur quoad omnia accidentia, itaut omnia æqualiter existant, nulli subjecto nec substantiali, nec accidentali innitendo; vel potius in tota collectione accidentium sit aliquod ex ipsis, quod nulli alteri inhaereat; sed cætera omnia inhaereant ipsi tanquam immediato? Siquidem, omnia accidentia æquè remanere sine ullo subjecto tam substantiali, quam accidentali docent plures Theologi, quos citat Mastrius in 4. d. disp. 3. num. 361. Et Eminent. Cardin. de Lauræa dist. disp. 23. art. 2. num. 42. Porro opposita sententia communis est inter scholasticos, docentes, solam quantitatem, præcipuum accidens in hoc Sacramento, esse sine subjecto: reliqua vero accidentia recipi, & sustentari in quantitate, tanquam in proximo, & immediato subjecto, uti recipiebantur antea, quando simul cum quantitate inhærebant substantiæ: ideòque asserunt, nullam fieri mutationem in reliquis accidentibus, sed in sola quantitate; nam sola quantitas remanet separata à proprio subjecto, reliqua vero manent, ut antea, totaliter, ac sufficienter sustentata à quantitate; quia quantitas est subjectum immediatum aliorum accidentium, per quod substantiæ inhærent, tanquam subjecto ultimo; ut latè S. Thom. 3. part. q. 77. art. 2. Scotus in 4. dist. 12. q. 2. D. Bonavent. ibidem art. 1. q. 2. Eminent. Cardin. de Lauræa dist. disp. 23. de Eucharist. art. 2. Gonet. d. disp. 6. art. 2. & Mastrius disp. 2. Physic. q. 3. art. 2. ubi de hoc ratiocinantur, & Philosophicis etiam argumentis opinionem prædictam confirmant. Quarto, quamvis, ut dictum est, concorditer doceant omnes Scholastici, quantitatem subsistere in Eucharistia sine subjecto, sunt tamen discordes in assignando modo ita de per se subsistendi: alii enim volunt, esse necessarium novum perfectiatis modum, ut accidens separatim possit subsistere: alii opinantur, absque alio novo modo accidens ipsum sustentari à DEO, sed per novam actionem; alii absque novo modo, & absque nova actione; alii tandem per novum modum, & per novam actionem, sed quia hæc merè speculativa sunt, & parùm deserviunt

serviunt Parochis ad instructionem plebium; ideo relinquuntur videnda à studiosis apud eisdem Gonet, Mastrium, & Card. de Lauræa, ac alios per eos allegatos. Et apud Lessium in *Opere posthum.* in 3. part. D. Thom. q. 77. art. 1. dub. 2.

Quintò: sed quia, è contra valde proficere potest Parochus in instruendo populo circa fidem prædictæ conclusionis, quod accidentia panis, & vini remanent in Eucharistia sine subiecto; dum substantia mutatur, sine alteratione accidentium; si exempla fulminis proponat; à quo solet vinum consumi intacto remanente dolio; argentum, & æs destrui, sacculis illatis; gladiosque lique fieri, manentibus vaginis, ideo non me piget, hic referre verba antiquorum Auctorum præmissis testimonium ignis facientia.

Plinius lib. 2. *Histor. Natur. cap. 51.* ait: *Terræ genus fulminis, quod clarum vocant (de quo cap. præced. §. 1.) mirifica natura esse, ut quo dolia exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto. Aurum, & æs, & argentum liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis; ac ne confuso quidem signo cæta. Marcia Princeps Romanorum ita gravida, partu exanimata, ipsa citra ullum aliud incommodum vixit. De primo videri etiam potest Lucret. lib. 6. & de Secundo Plutarchus lib. 4. Sympos. q. 2.*

Seneca verò lib. 2. *Natural. Quæst. cap. 31.* ita scribit: *Ceterum mira fulminis, si intueri velis, opera sunt, nec quicquam dubii relinquentia, quin divina insit illis, & subtilis potentia, loculis integris, ac illatis fundatur argentum. Manente vagina, gladius liquefit. Et inviolato ligno, circa pila ferrum omne disillat. Ad quod Seneca caput notat faciens Muretus ita adjungit. Mihi hoc contigit, ut paucis mensibus antequam Hyppolitus Cardinalis Ferrariensis, qui ita de me meritis est, ut perpetuò anime ipsius bene precari debeam, ex hac vita discederet, fulmen in Palatium ipsius decidens, ad mea usque cubacula pervenerit. Ibi gladii, qui ad lectum unius e famulis meis pendebat, mucronem ipsum ita colligescit, ut in globulum converterit, vagina prorsus illæsa.*

Plutarchus pariter lib. 3. *Sympos. seu Convival. Quæst. q. 2.* ex Hermanni Cruserii interpretatione, sic loquentem introducit Dorotheum Oratorem: *Mihi certè constat, fulmen in domum apud nos delapsum multa miracula edidisse. Vinum ex dolis exhaustis vase illaso, hominemque somno stratum transvolans, neque illum offendit, neque vestem attingit; sed ejus cinctum, in quo succinxerat nummos areos, liquefecit, & fudit totum. Et paulò post: Pyxidularum argentearum, quæ ligneis incluse capsulis erant, argentum quidem colligatum, & conflatum fuisse, lignum intactum, & integrum inventum. Refert etiam prædicta P. Scotus in *Physica Curiosa tom. 2. lib. 11. §. 2. 3. & 4.* ubi rationes examinat horum mirabilium effectuum; idemque facit P. Sylvest. Maurus in *Commentar. Aristot. Meteorologic. 3. cap. 1. art. 2.* ubi Philosophus ita ait in textu n. 7. *Quapropter, & resistentia quidem patuntur aliquid, quæ autem non, nihil, ut clypei jam eramentum quidem liquefactum fuit, lignum autem nihil passum fuit. Agit pariter de effectibus fulminis P. Nicol. Arnù in sua Philosoph. tom. 5. de Meteoris qn. 7. art. 2.**

ubi sub. n. 9. subdit: *Quintò experientia didicimus, quod ovum consumat illeaso putamine: vase intacto, dolium exinaniat. Et concordat Collegium Complut. tom. 2. tract. 2. de Meteoris disp. 3. qu. 3. §. 4.*

Igitur, si Deus hanc facultatem tribuit fulmini, ut destruat vinum, non autem dolium; ut liquefaciat aurum, & argentum, non combustis sacculis, in quibus includebatur; ut manente vagina gladium absorbeat; ut substantiam ovi devoret, illeaso putamine; quod quidem fulmen in Scriptura Sacra vocatur, Vox Dei. *Et Altissimus dedit vocem suam: grando, & carbones ignis. Et misit sagittas suas, & dissipavit eos; fulgura multiplicavit, & conturbavit eos. Ps. 17. 14. Et vox Domini intercidentis flammam ignis. Ps. 28. 7.* Cur non poterit operari per verba Consecrationis Eucharistiae, ut destructa interiori substantia panis, & vini, remaneant sine subiecto exteriora accidentia, adinstar dolii, sacculi, vaginæ, capsulæ, & corticis, sub quibus, & à quibus tegebatur vinum, aurum, æs, argentum, gladius, vitellus, albumen? Non inficiamur, hæc esse materialia quædam prædictarum substantiarum indumenta, & divisibilia; sed vis in eo consistit, quod Dei voce, scilicet fulmine, destruitur substantia, remanentibus tegumentis illatis, quibus figurantur accidentia panis, & vini permanentia absque subiecto, destructa ejusdem panis, & vini entitate per verba consecrationis à Sacerdote prolata.

Non inelegans similitudo est miraculum illud, relatum in Vita Sancti Philippi Neri à Petr. Jacobo Bacci lib. 2. cap. 2. num. 6. his Verbis: *In quei principii, che si edificava la Chiesa, mentre cresceva la fabrica, occorse, che essendo soprastante di quella il sopranominato Gio: Antonio Lucci, & havendo fatto lasciare un pezzo di tetto sopra un luogo della Chiesa vecchia, dove stava l'immagine d'una Madonna antica molto devota; la quale è quella istessa, c'hoggi stà nell'Altare maggiore, per potere sotto quello celebrare la Messa, e tenervi il SS. Sacramento, fu una mattina fatto chiamare in fretta dal Santo Padre, il quale gli comandò, che facesse quanto prima diffare quel tetto; perche quella notte havea veduto, che stava per cadere, se la Vergine Gloriosa non l'havesse con le proprie mani sostenuto. Andò subito Gio: Antonio co i muratori per far l'obbedienza; e trovarono, che il trave principale era uscito fuori del muro, e si reggeva in aria: sicchè tutti, quando videro tal cosa, gridarono: Miracolo, miracolo. Tetti illius tigna inhærebant Epistylis, tanquam in subiecto; ipsum autem Epistylum, & eo mediante, omnes trabes tecti ejusdem insidebant muro; sicut accidentia panis, & vini inhærent quantitati, & per eam ejusdem panis, & vini substantia. Itaque, Deipara intercedente, ac patrocinate, fecit Deus, ut Epistylum subsisteret absque subiecto extra murum, necnon omnia tigna tecti, quæ in Epistylis subiectabantur; ut credere non sit nobis difficile, accidentia Eucharistica panis, & vini consecrati subiectari in quantitate, hanc autem conservari, per Divinam potentiam, absque subiecto, separatam à substantia panis, & vini.*